

V I R O

*Prænobilissimo, Consultissimo, Amplissimo atque  
Doctissimo Domino,*DOMINO  
JOH. CHRIST.  
LEONHARDIPHILOS. ET JUR. VTR. DOCTORI CELEBERRIMO,  
SENATVS MARTISBURG. SYNDICO  
GRAVISSIMO,

CVM

VXOREM SVAM

OMNIBVS ET ANIMI ET CORPORIS ORNAMENTIS FLORENTISSIMAM,  
*DIE XXV. FEBR. MDCCXXVII.**PLACIDE AC BEATE DEMORTVAM,  
ACERBISSIMO DESIDERIO LVGERET,  
SOCIAM MENTIS SVÆ EGRITVDINEM  
EA, QVA DECET, ANIMI REVERENTIA,  
TESTARI VOLUIT*M. JOH. SAMVEL. STRAVSSIUS,  
DIAC. MARTISBURGENS.

MERSEBURGI,

LITERIS JOH. MAVRIT. GOTTSCHIKII.



Kapsel 78 N 13 [86]

AK



V I R

*Amplissime, Consultissime atque Do-  
ctissime,*

*Suspiciende Mæcenas &c.*



Vos crudum istud funus, Beatissimæ, ac per duodecim ferè annos Dilectissimæ Coniugis, Tibi dolores attulit, vix & ne vix quidem consolabiles, me simul in ima clientum Tuorum cera hærentem, etiam atque etiam commovisse, inficiari nequeo. Tuum enim vulnus domesticum non superficie tantum rupit, sed divulsâ à latere tam amabili costa, ipsum planè pectus, nudavit, confodit, laceravit. Enim vero rarissimum incontaminatæ pietatis exemplum, posteritati, ab ista Tua Vxore dulcissima relictum esse, ecquis dubitet? Ita periit insigne virtutis ornamentum, periit conjugalis amoris micans speculum, periit bonæ frugis cynosura, periit matronarum decus, periit angelica modestiæ forma, nisi quod posthuma in memoriis manet immortalitas, hæc non periit. Vanus sane essẽm, si omnia atque singula, quibus beatissima ornabatur virtutum nomina, commemorare vellem.

Hisce enim religiosior debetur mora, imo dignior, candidiorque, quam tumultuaria & festinata hæc pagina patitur,

tur, laudum tabella. Mirari & sequi potius virtutes, quam  
haud satis digne laudare, decet mortales, quin etiam hoc ma-  
gis diducere est vulnus, quam obligare, cum singula momen-  
ta alicuius damni ad scrupulum vsque excutimus. Hinc  
mearum duxi partium tantum eiusmodi vti rationibus, quæ  
ad extinguendum animi Tui mœrorem aliquid facere pos-  
sunt. Si tamen satis iam perspeximus magnitudinem ani-  
mi Tui, cum olim pignorum matrimonialium, & haud ita  
pridem filioli mors spem generis Tui expugnaret, & tantas  
fortunas hæredæ suo privaret, quin & nunc facilem Te præ-  
beas ac tranquillum. Nunc ex eloquentiæ civilis lecytho cor-  
radere consolationum argumenta, incongruum puto. Ni-  
hil in mundo firmum: Omnia velut in oscillo pendere: ea  
lege mortis nos natos esse: Nunquam felicitatis certam esse  
fidem: Caducum in primis animal esse hominem: Eadem  
mala sensisse alios itidem bonos, itidem magnos. Leviora  
hæc sunt, quam vt magnitudinem luctus huius, qui candi-  
dam lucem Tuam quasi incoëstat, diminuere aut tollere possint.  
Aliis igitur in hanc rem remediis opus est, alio qui plenius alat,  
apparatu. Commodum autem mihi accidit, quod iam  
nostra templa omnesque cathedræ personant tristissima passio-  
nis CHRISTI tragœdia.

Perpendas quæso crudelissimos nostri Salvatoris cruciatus,  
& procul dubio subsidet dolor domesticus, qui, quantumvis  
ingens, citra istum tamen reflectetur. Ipse CHRISTUS ma-  
nu supposita levius reddet quodcunque onus. Denique  
nobilior animus, etiam victus, contumacior resurgit, & illu-  
striora in adversis quam secundis sui præbet argumenta. Mi-  
tior fama quoque est, quæ per gradus quosdam nos infelices  
reddit, & peiusculè primum se nostros habere affirmat, dein,  
decumbere, post non sine periculo esse, tandem vixisse, ait.  
Sic enim inter spem & metum primo fluctuat mens, mox tre-  
pidat, succumbit, & sensim iterum iterumque levatur. TIBI  
ergo, Vir Consultissime, mala, divisa assquid solatii pariter af-  
fere-

ferabant, cum non ingruerent, & semel venirent. Sic porro Te bono imò optimo Tuo Deo, necessitatibus omnibus obsequendo, totum præbeas. Id enim semper sapientis est habitum. Omne id quod Te angit, aut ipsam quam luges, aut Te qui luges, respicit. Amisisti quidem amores ac delicias Tuas, non desultorio luctus genere deplorandas, sed amisisti, volente sic vitæ arbitro ac naturæ imperatore, Vulnus ergo Tuum à Deo est. Quodsi ab illo, id est, à solo & summo bono, quid, nisi bonum est? Summum bonum fecit, bene fecit. Voluntas divina statuit, provide statuit. Noli Tibi illud ereptum queri, quod vsuræ commodatum, non pecuniæ, repetiit auctor suus ac dominus. Accepisti beatissimam, vt, ceu bonæ fidei depositarius, aliquando redderes. Reddisti cælo, & anima compagibus suis soluta, lætatur, triumphat, & in beato beatorum concilio agni hymnum decantat. DEUS interim, qui dum vulnerat, etiã ligat, viduitati & valetudini Tuæ abunde prospiciat, omniaque quæ ad Tui Tuorumque salutem pertinent, benignissime largiatur. Muniat Te Leo ex Tribu Judæ ad ferenda & vincenda, æquo animo, quæ mutari non possunt, corde leonis, ne egregio nomini Tuo omen desit auspiciousimum! Pedem hîc figo, & vnum adhuc scribam, id scilicet, quod ad scribendum iam animum adpulsit. Vicit enim me pietas, vicit amor, vicit meritorum Tuorum conscientia, quæ etiamnum ad pulcherrimam servitutem alligat


### *Nominis Tui Amplissimi*

Obsequii sacramento obstrictum

M. Joh. Samuel. Straußium.

78 N 13 [86] X3013659

14



V I R O  
*Prænobilissimo, Consultissimo, Amplissimo atque  
 Doctissimo Domino,*  
**DOMINO  
 JOH. CHRIST.  
 LEONHARDI**

PHILOS. ET JVR. VTR. DOCTORI CELEBERRIMO,  
 SENATVS MARTISBVRG. SYNDICO  
 GRAVISSIMO,

CVM

**VXOREM SVAM**

OMNIBVS ET ANIMI ET CORPORIS ORNAMENTIS FLORENTISSIMAM,  
 DIE XXV. FEBR. MDCCXXVII.

PLACIDE AC BEATE DEMORTVAM,  
 ACERBISSIMO DESIDERIO LVGERET,

SOCIAM MENTIS SVE ÆGRITVDINEM  
 EA, QVA DECET, ANIMI REVERENTIA,  
 TESTARI VOLUIT

**M. JOH. SAMVEL. STRAVSSIUS,**  
 DIAC. MARTISBVRGENS.



MERSEBVRGI,  
 LITERIS JOH. MAVRIT. GOTTSCHIKII.



Kapsel 78 N 13 [86]

AK